IV. *De Sciuro volante, ſive Muro Pontico, aut Scythico* Geſneri, *& Veſpertilione admirabili* Bontij *Diſſertatio, per D^n.* Hans Sloane, *Bar^t. Pr. R. S. à* Jacobo Theodoro Klein, *Reip.* Gedanenſ. *à Secret. R. S. S. communicata. Vide* Fig. 1, 2, 3.

MULTAS fabulas circa animalia alata & volatilia irrepſiſſe in Hiſtoriam naturalem, nemo inficias ibit, qui præjudiciis, autoritate atque ingeniosis veterum figmentis, nec non quandoque narrationibus & Teſtimoniis credulæ plebis non obcœcatus, rem ipſam penitiùs inſpexit.

Optandum foret, ut hujuſmodi & plures aliæ fabulæ, ad ſeverius examen revocatæ nullum aliquando locum in Hiſtoriâ naturali invenirent, quo ipſo illis, qui minùs cautè talia evolvunt, anſa præcideretur, neſcio, quot, & quales Dracones, Baſiliſcos, Gryphos, & ſexcenta alia hujus generis portenta effingendi, unde non ſolum inductæ plebi, ſed & illis, qui ſupra vulgus ſapiunt, pro ipſâ quandoque Cathedrâ Eccleſiaſticâ, bonâ licet fide, egregiè tamen imponi ſolet.

Ejuſmodi Veterum relationes ad tædium uſque fabuloſas confutare quidem aggreſſi ſunt Clariſſimus *Scheuchzerus in Jobi Phyſicâ ſacrâ, p.* 257. *ſeq.* nec non, *Hyacinthus Gimma,* Diſſertatione ſecundâ Phyſico-Hiſtorico-Experimentali, *de fabuloſis Animalibus*

malibus, pacem verò ex victoriâ vix reportaturi, quamdiu præjudicia debellare non valebunt; tantum enim præjudicata opinio poteſt, ut etiam ſine ratione valeat autoritas.

Quod autem in ſpecie ad Quadrupeda volantia attinet, eorundem utique nonnulla dari, experientia docet. Ipſi Veſpertiliones, nobis, et Incolis utriuſque Indiæ obvij, qui, ſi non ingredientes, perreptantes tamen Quadrupedes dici poſſunt, [*Vid. Geſnerus, de avibus, p.* 695.] cauſam eorum agere videntur. Præter hos, peculiare volaticum genus Lacertorum locum ſibi vindicat, ſub nomine Lacerti volantis ſive Dracunculi alati, in Java admodum familiaris. Hunc quidem Belonius in ſingularibus obſervationibus ſuis bipedem in effigie repræſentat, cui verò Piſo in Bontio, & alij, rectè contradixerunt; Et ſanè ipſi Dracunculi, in variis Muſeis aſſervati, pleniſſimè fidem faciunt, ſe eſſe Quadrupedes, prout & in meâ Animalium Exoticorum collectione, bini Dracunculi alati, & quidem Mas & Fœmina, (uterque Quadrupes) occurrunt.

Hæc Quadrupeda propriè dicuntur volatilia, quod re ipſâ volent, id eſt, huc illuc in aëre liberè vagentur.

Impropriè autem volitare dicuntur ejuſmodi Quadrupeda quæ arbores plerumque incolunt, uti ſunt, Sciuri vulgares, & alij hujus generis mures, Martes Alpinæ, & Scythicæ, &c, imò, plura alia, quæ in ſylvis, per diſtantia invicem arborum cacumina ſalientes, quaſi volare videntur.

Inter hæc verò jure ſuo eminent, *Sciuri ſic dicti volantes*, quod quaſi velo quodam, vel peculiari inſtrumento volatorio, præ aliis inſtructi ſint.

Alterum horum invenio in *Catalogo & Deſcriptione Animalium Levini Vincentij*, 1726, *p.* 8. *Centur. primâ*, *Num.* 92. Sub nomine: *Sciurus Virginienſis volans*, ſine ulteriori deſcriptione; Interim Amicus quidam mihi retulit, Dominum **** Londinenſem, Sciurum Virginienſem habuiſſe, qui per integram Hyemem dormitans, nonniſi admoto calefactorio quodam evigilaret, ubi pedem unum alterumque moverat, uſque dum plenè expergefactus, vitam rurſus agere videretur.

Alterum in Grewij Muſeo regalis Societatis, p. 20, ſub nomine, *Flying Squirrel*; quem Autor pro animali habet, quod ſub nomine Felis volantis deſignat Scaliger Exerc. 217. §. 9.

Alterum exhibit Lawſonius in hiſtoria Provinciæ Carolinæ Indiæ Occidentalis; Alterum denique *Geſnerus de Quadrup. p.* 743. MUREM PONTICUM AUT SCYTHICUM SIVE SCIURUM VOLANTEM ET LATUM, appellat. Animal ipſe non vidit, ſed tantum Cutem ejus expanſam, quam etiam delineandam curavit. Dabo aliquam hujus ultimi Hiſtoriam. Superiori anno 1727, 19 Martij, Sereniſſimo Poloniarum Regi Auguſto II, duo ejuſmodi Sciuri volantes vivi à Capitaneo Minſcenſi, Joanne Ignatio Zawiſza, Varſaviæ fuerant oblati; hos obſervavit, & alterum eorundem mortuum, examini ſubjecit Magnificus à Heucher, Conſiliarius Aulicus, & Archiater Regius, ejuſdemque figuram

cor-

corporis expanſi, nec non Sceleton delineatum Fig. 2, 3, pro humanitate ſuâ, mecum communicavit.

Eodem anno, Celſiſſima Princeps Radzivilia, ſupremi olim Cancellarij, Magni Ducatûs Lithuaniæ Illuſtriſſima Conjux, Hortum & Muſeum meum præſentiâ ſuâ illuſtrans, ejuſmodi animalculum vivum mihi promiſerat, quod etiam præteritâ æſtate, anni præſentis, 1728, curante Clariſſimo Floercke, M. D. & Archiatro Principis, obtinui, vitam adhuc agens.

Quod ad Patriam ejus attinet, ortum ſuum habet ex ſylvis Capitaneatûs Kriczovienſis, Diſtrictus Mohilovienſis, in confiniis Ruſſiæ.

Ajunt autem Mohilovienſes, hæc animalia cavas inhabitare quercus, & Muſco Betularum congeſto, eidem ſe involventia, per integram diem dormire, noctu verò lætari, eſcamque ſibi quærere; Hinc fieri, ut

Sequentem in modum capiantur: Ubi Venatores judicant, Sciurum latitare, in quâdam arbore cavâ, retia ad foramina ex arbore exeuntia applicant, & circa radicem arboris, ad truncum cavum ignem excitant; quamprimum ergo fumus in arborem ſurgit, & cavitates permeat, illicò Sciuri derelinquunt nidum, retibuſque irretiti, in terram decidunt, & Venatoribus in prædam cedunt.

Naturalem magnitudinem illius, quem habeo *Fig.* 1. exprimit. Minor itaque eſt Sciuro vulgari, major mure Avellano, noſtras ſylvas frequentantibus (Noſtratibus Sciuri volantes Reges familiæ ſuæ, Koenige der Grauwercke, audiunt).

Pellis molliſſima, pilis canis & ex nigro cinereis eleganter picta.

Ingentes & extantes habet oculos, nigros, aſpectu pulcherrimos, aures parvas, dentes acutiſſimos, quibus exquiſitè mordet; Plerique enim maligni ſunt: Noſter ſatis mitis eſt; non appetit morſu digitum, ori ipſius admotum, irritato tamen fidem vix habeat curioſus. Caudam, extra ſaltum conſtitutus, gratò aſpectu, tergo apprimit, Petauriſtam verò agens, demittit, hinc inde agitans. Veſcitur pane non conditô ſale, & ſummitates Betulæ recentes in deliciis habet, nuces non curat, neque Amygdalas. Lectum ex muſco Betularum egregiè diſponit, eundemque pedibus, mirâ facilitate attrahens, in ipſo quaſi ſepultus jacet; interdiu eodem non niſi ſollicitatus, aut ſiti preſſus, exit.

Quod ad ejus inſtrumentum volatorium attinet: Cutis à lateribus inſtar veli, ad palmam ferè expandi poteſt, quod ipſum velum poſteriorum pedum genubus adhæret, cum anterioribus verò articulationi oſſeæ connectitur: Ad extremitatem modò dictæ articulationis cutis quaſi plumoſa.

Ubi quietus conſidet, aut greſſus naturales facit, articulatio hæc, cum pedibus parallela diſtingui nequit; quamprimùm verò ſaltum facit, movetur illa, & cum anteriori pede angulum quaſi rectum format, unde cutis, prout antea dictum, expanditur, quamvis etiam validus paniculus carnoſus, integram cutem permeans, ſaltum fortiter ſecundet.

Hinc

Hinc colligo, Animalculum hoc proprie non' volare, ſed loca, quæ ſibi propoſuit, magis diſ ſita, faciliùs, ac reliqua animalia ſui generis ſaltu attingere, ſaltuſque majores perficere poſſe, quod velis ſuis mediantibus, diutiùs in aëre morari valeat.

Cum hoc Sciuro noſtro volante conferatur *Veſpertilio admirabilis* Bontij, *in Hiſt. Nat. & Med. Ind. Orient. cap.* XVI. *apud Piſon. p.* 68.

Ipſe Piſo dubitare voluit, an Veſpertilionum familiæ adſcribendus eſſet, " Quod felis ſit magni-
" tudine, ventre & pectore craſſo, & carnoſo,
" item, à cervice capitis, ad unguium uſque ex-
" tremitatem, membrana continuata, inſtar veli ex-
" panſi penè cooperiatur ; adde, quod velum hoc
" ſubtus quidem membranaceum, ut in aliis, lanu-
" gine venulis & fibris obductum appareat, ſed
" extus perpetuis molliſſimis pilis, cuniculorum
" more, canis & ex nigrocinereis, mirum in mo-
" dum veſtiatur ; tum quoque plicis illis, quibus
" alæ, more aliorum, contrahuntur, & relaxantur,
" deſtitutus, *longitudinis* autem ſit trium ferè pedum,
" ejuſdemque latitudinis."

Quod verò, ut Bontius aſſerit, hujuſmodi *Veſpertiliones admirabiles gregatim, anſerum ſylveſtrium inſtar, volitent*, illud ipſum, mole hujus animalis, ejuſque ſtructurâ, rectè perpenſâ, mihi perſuadere non poſſum, quin potiùs exiſtimem, ad Sciuros noſtros volantes talia animalia propriùs accedere, eademque velis ſuis, prout noſtros, eundemque in finem, uti. Nec obſtat fides Bontij in eo, *quod circa*

circa veſperam in aëre, vel arboribus penduli conſpiciantur; quin potiùs inde evinci poterit, illos veſpertiliones æque ac Sciuros noſtros volantes interdiu dormire, circa veſperam verò, latebras ſuas derelinquere, atque arbores per ſaltus frequentare, itaque tanquam Petauriſtas velut pendulos in aëre conſpici, ſaltu autem abſoluto, in arboribus pendulos inveniri.

De cætero, nam hi Veſpertiliones admirabiles, pari jure, quo Geſnerus *Sciuros* noſtros *volantes* dixit, appellari queant, *Feles volantes*, de eo non adeò ſollicitus ſum.

Coronidis loco notandum, rei veritate niti, quod Geſnerus ex Vincentio Beluacenſi & Olao Magno refert; Sciuros, vulgares quando aquam tranſire cupiunt, lignum leviſſimum aquæ imponere, eique inſidentes, & cauda (*non tamen, ut vult, erecta, ſed continuo mota*) velificantes (*neque flante vento, ſed tranquillo æquore*) tranſvehi; quod fide dignus fiduſque meus Emiſſarius ad Inſulas Gothlandiæ plus ſimplici vice obſervavit, & cum ſpoliis in littoribus ibidem collectis redux mirabundus mihi retulit.

Fig. 4.



Fig. 3.



Fig. 2.

Fig. 2.

Fig. 1.

of 8 Inches

I. Mynde sc.

Fig 4
Fig 3
Fig 2
Fig 1
A
B
C
D
M
P
4 Scale of a Foot